

non protrita referre, vt quomodo Pythagoras Æsculapio gallum nos debere præcepit legentes sciant, Cùm Lactantius diuinarum institutionum libro subfannans Deos gentium, quid sit gallum Æsculapio nutrire seu debere non videatur intellexisse, quod Cælius Rodiginus libro lec. antiq. xvi. cap. xij. comminiscitur in Lactantium inuehens. Sed ante hunc Cælium, Ioannes Rheuclinus cognomento Capnio libro 2. de arte Cabalistica in Lactantium fuerat stomachatus. & Ioannes Picus Mirandulanus, Phœnix illa totius rei literariæ, ante hos omnes in sua quadam elegantissima oratione symbolum Pythagoræ exponens præmeditatus fuerat. quod symbolum etiam à Lylio Gregorio Giraldo nostro in libello symbolorum Pythagoræ variè explicatur. sed hic Iohannis Pici, & Rheuclini sententiam altiore opere præparatum est subdere. Voluit igitur Pythagoras admonere hoc symbolo nos, vt gallum nutremus, hoc est, vt diuinam animæ nostræ partem diuinarum rerum cognitione, quasi solido cibo, & cælesti ambrosia pasceremus. Hunc gallum moriens Socrates, vt est apud Platonem in Phedone, cùm animi sui diuinitati maioris mundi copulaturum se speraret, Æsculapio, idest, animarum medico, iam extra omne morbi discrimen positus, se debere dixit, & meo iudicio non sine causa. Nam Æsculapius à veteribus dictus est iubilatione Apollinis & victoria, & triumphus, qui Pæan appellatur, eò quòd Pæan cessationem & quietem post liberationem nominauit. Quam aptè igitur apud Platonem, Apollini, idest primo parenti ac incorporeo Soli, & æternæ vitæ dispensatori, Socrates moriturus animum tranquillè & cum lætitiæ iubilo, & pæane reddidit: cùm in Æsculapio veneratus est Apollinem, hoc est Solem vitæ datorem, dignum ratus cuique optimo officium esse, vt superato huius mundi Pythone cum per mortem celerrimè ad veram vitam iter capescitur, Æsculapio quidem offerre nos debere gallum, hoc est Pæana celebrare, sic Orpheus, Vatum vetustissimus, de Æsculapio cecinit in hymnis *ΙΗΤΗΡ πάντων ἀσκληπιὲ δίασοτα
παῖαρ, ἔλδὲ μάκαρ σωτηρ, βιότης τέλος ἰσθλὸν ὀπάξωρ.* idest, sanator omnium Æsculapie domine Pæan, veni beate saluator, vitæ finem bonum præbens, quod autem ad triangulum in se volutum attinet, & quinquelinearem. primò ex abstrusa & occulta cabalistarum Philosophia illud proferendum ac in medium ponendum est. quod duo primus est Numerus, vnum vero est numeri principium, & vnum hoc, Deus est, ex vno itaque producente, duobusque productis Trinitas oritur. hinc fit ille triangulus. Triplex, duo enim ad vnum commeant, vnusque ad Duo, sicque ternarium perficiunt numerum, qui perfectissimus inter omnes numeros habetur, & in Magia præcipuè. vnde illud Tibullianum,